De Poplytis Aneurismate

Dissertatio

Medico-Physico-Cheirurgica

Michaëli Angiolo Grimio
Auctore

In Medicina etiam ubi
perpetuum est, quod fieri
debet, non tamen perpetuum
est, id quod sequi convenit.

A: C: Celsi Lib. VIII.

Michaëlis Angeli Grimii
De Poplytis Aneurismate
Dissertatio
Medico-Physico-Cheirurgica

§. I.

Poplytis Arteriam situ, et partibus, quae eam circumstant, fieri posse aneurismaticam perdifficile atque incredibile videtur. Qua de re nullam fieri mentionem, quod sciam, nisi unam tantummodo observationem apud Henricum à Moinichem (a), et nuperrimè aliquas alias apud Johannem Baptistam Morgagnium omnium Anatomicorum Principem (b) viderim. Cum verò tum in Florentino Sanctae Mariae Novae Nosocomio, tum alibi alias animadverterem benè multas hac morbi specie laborasse De eadem perbrevem tractationem instituere, visum mihi est. In quatuor igitur sectiones dissertatio haec deducta erit; et una asset quomodo enascitur; altera aget de divisione, causis, ac differentiis; ~~ter~~ tertia de Phaenominis atque effectibus, et consequentibus; quarta et ultima de ejus curatione: et ad eas protinus veniam.

(a) vide observationes medicae virorum cl. ~~[illegible]~~ michaëlis Lyseri Henrici a Moinichen, Martini ~~[illegible]~~ Boglani, Jacobbi sidellis è museo Th. Bartolini edit. Hafniae.

(b) De sedibus et causis morborum per Anatomen indagatis epist. Anatomico-Medica I. 1. p. 261. et plures aliae T. II. edit. Venet.

Quomodo Poplytis Aneurisma enascitur

Sectio Prima

§. II.

Quamvis Arteria á tergo cavitate ejus ossea et á latere Femoris condilibus, Tendinibusque musculorum Tibiae Flexorum, et á fronte vena quae idem nomen habet, et Nervo, qui praeest, circumdatur: Nihilominus tamen ejus Aneurisma enascitur multoque magis fit amplum quam illud caetararum arteriarum, quae renixum non habent, ut saepius ipse ego expertus sum.

§. III.

Aneurisma autem hujusce Arteriae in relaxatione aliqua sacciforme, seu herniosa unius vel plurium Tunicarum ex quibus constat Arteria, consistit, habetque initium a parvo tumore, qui sensim increscit, pro portione vero increscente, et ex intervallo, quod inter femoris condilem, venam, et nervum est, prominet; quo autem ab ejus situ distat, vena Poplytea consedit, et paulatim locum arteriae accipit, et Nervus pariter illum venae, et Arteria Aneurismatica ejus locum occupat, totamque vel partem Poplyteae cavitatis implet.

§. IV.

Id tandem, dum instituebatur operatio Aneurismatis Poplytis Josephi Borghi Domo Florentiae, aliorumque in Sanctae Mariae Novae Nosocomio, Anno MDCCL. haud obscure

animadverti

animadverti. Verumtamen qui funditus in rerum anatomicarum cognitione est versatus tantis observationibus minime indiget, quia satis clarum est, quod cruralis arteria cum appropinquetur paulo supra condilem femoris interiorem, aliquantisper flectitur: et postea poplitea arteria in cavitate ad perpendiculum descendit, et ad internum Femoris condilem protendit: ut revera si ligata, et obstricta erit ejus extremitas inferior, sectione aperta cruralis arteria ejus basin versus: et infusione alicujus liquoris vehementer impulsa in ejus cavitate inspicitur ejus diameter dilatatur internum condilem versus, et vena, quae supra est, ad extremum Femoris condilem paulum vergit. Si talis immutatio non fieret profecto nunquam dari Poplytis Arteriae Aneurisma posset.

§. V.

Ex hac Anatomes observatione deduci etiam formatio atque situs insignorum ramorum hujusce arteriae immutatio potest. Ut verò mente ejus naturam concipiamus, optimumque judicium faciamus, illis auxilijs, quae juxta morbi naturam conveniunt, nec non loci qui tenet, atque partium, quae id circumstant, praestemus.

§. VI.

§. VI.

Quamobrem id porrigitur, et ita amplum fit, ut nasci videtur, ex immutatione situs partium, quae hac in cavitate sunt, et praecipue ex nervi compressione. Aneurismatis extremitates versus; nihilosecius sanguis ejus impetu superioris compressionem extremitatis superat, et per cavita tumoris aneurismatici profluit; sed aliquod impedimentum non parvum altera offert extremitas. Quapropter fibras jam relaxatas ex quibus arteriae tunicae constant, impellit, adeo ut ab eorum axi magis magisque absit, et ad modum hunc Aneurisma Arteriae Poplyteae, et eorum ramorum fiat.

De Poplytis Aneurismatis Divisione, Causis, ac Differentiis

Sectio Altera

§. VII.

Aneurisma hoc distinguitur in verum, spurium, ~~et~~ compositum, mixtum, vel complicatum. Verum tantummodo illud est quod in relaxatione aliqua unius, vel plurium Tunicarum arteriae Poplyteae ratione sacci vel herniae (ut in sectione prima §. III. dictum est) consistit. Spurium autem, nihil est nisi veri consequens, Quotiesquanque nimirum Tunicarum arteriae fibrae valde sunt extensae, et ab eorum axi remotae,

remotae, disrumpuntur, et sanguis extra Arteriam effunditur in adiposum panniculum: et tumor ingens fit, et ejus compressione cutem abruptionis afficit, ex quo Haemorrhagia evenit: ut praedictus Henricus a Moinichen narrat. sed non describit si Aneurisma istud in ejus trunco vel potius in ramis fuisset. mixtum tandem seu complicatum cum adsit ossium illius partis caries, illius cellularis membranae abscessus, et illius venae varix, dicitur.

§. VIII.

Causae, quae hanc gignunt morbi speciem sunt (1) Nimia Laxitas, seu Atonia in fibris quibusdam Arteriae. (2) Earum disruptio ex interna ~~[illegible]~~ ac latente causa genita vel ex perspicua atque externa; quamvis hoc in loco difficultatem aliquam occurrit. (3) Unam ex praecipuis Aneurismatis causis esse inflammationem illius cellularis substantiae interpositae, quae non solum inter arteriarum Tunicas adest, sed et earum fibras, existimo. et id negari ab iis, qui minutim Anatomes periti ac eruditi sunt non potest. (4) Specialis verò hujusce Aneurismatis causa est, genuum Levis submissio, tum sanguis, qui magna vi praeterfluit, in ejus angulum impellit

et

et quia illinc non nihil renixus est, fibrae ex quibus Arteriae Tunicae constant, ab earum axi distant, dein Tunicae relaxantur, et formatur Poplytis Aneurisma: ut in sectione prima §. III indicatum est. (5) mala ejusdem Tunicarum conformatio, atque irregularis structura (6) Sanguinis fervor &.

§. IX.

Ratio potissima, cur plus in Italia quam in caeteris regionibus transalpinis Aneurismata fiunt, ut mihi quidem videtur, est Calida Zona: necnon quia Itali valdè generosissimo vino, ac firmissimis Liquoribus utuntur: Quapropter Sanguis praeterfluens in vasorum parietes impellit, et hi tantis impulsibus non resistunt: ideo plus aequo relaxantur, et procreant morbum hunc, qui universim in medicinae cheirurgicae Gymnasiis appellatur Aneurisma

§. X.

Poplytis Aneurisma animadverti in iis, qui 1 Aurigae, Navibae, viridarii custodijs artem exercent, et in reliquis omnibus, qui artes sordidiores profitentur, et praesertim in iis, qui genibus submissis assiduè insistunt, hac morbi Speciei subiecti sunt.

§. XI.

Ad Prognosin, et indicationem curativam formandam distinguiè Aneurisma hoc operae praesium

praebitum est (1) in magnitudinem; ut observatum est magnam, mediocrem parvam, (2) in figuram aliam oblongam aliam orbiculatam, (3) in situm modo in superiorem cavitatis Poplyteae partem, modo in mediam, modo in inferiorem tantum et modo in totam praedictae cavitatis extensionem, (4) in causas: ut supra in §. VIII. dictum est, (5) in species, aliud est enim Aneurisma verum, aliud spurium, aliud mixtum vel complicatum, (6) in ~~effectibus~~ effectus, (7) in indicationem (8) in methodum, (9) in auxilia.

De Poplytis Aneurismatis Effectibus, seu Phoenominis, Signis Diagnosticis, atque Prognosticis

Sectio Tertia

§. XII.

Instantis autem Poplytis Aneurismatis Phoenomena et signa complura sunt. In quibus explicandis non dubitabo Anatomes praeceptis Medicinae cheirurgicaeque Cl: virorum observationibus uti. Tibiae inprimis flexio propter nimiam voluminis tumoris compressionem fieri nequit. Obstructio illorum ramorum, qui a trunco

Arteriae

Arteriae discendunt, producit inflammationem, atque suppurationem ac cariem cunctarum partium solidarum propinquarum: ut in Nosocomio Sanctae mariae Novae Anno MDCCXLIX in Nicolai Pistulic navicularii Domo Epidauri Aneurismate observatum fuit. Deinde Haemorrhagia, Enchimosis, Tumefactio, Oedema, et interdum Tibiae Paralisis, atque convulsiones sequuntur.

§. XIII.

Signa hujusce Aneurismatis Diagnostica sunt, (1) intumescentia sensim increscens circumscripta, interdum orbiculatam, interdum oblonga, vel ovata, (2) color cuti similis, (3) Pulsatio continua (4) mollis et laxaque digitorum pressioni plerumque cedit, nec pulsu considerabili gaudet: at strepitus heic observari quasi bullentis aquae videtur: ut ab Ambrosio Pareo (c) Paulo Barbetta (d) et aliis observatum, et notatum fuit. Antonius Benevolus (e) Praeceptor meus celeberrimus in earum observationibus Medico-chirurgicis in interna cruris dextrae parte quatuor ferè digitorum supra genu Dominici Martelli Domo Florentiae Anno MDCCXLI.

(c) De tumoribus contra naturam ingenere lib. VI. De Aneurismate cap. XXVIII. p. 229. ed. Lutetiae Par. Lat. fact. Jacopo Guillemeau Regio et Parisiensi Medico-chirurgo interprete.
(d) Cap. XVI De Aneurismate p. 157. edit. Lugd. Batavorum
(e) Osservatione XI. Aneurisma sopra il Ginocchio, colla perdita della pulsazione p. 18. fino alla p. 122. edit. di Firenze.

Aneurisma sine ullo pulsu vidisse narrat, et italico in sermone cur pulsu deficit eleganter exponit. Non ita multum Professor Florentinus hujusce facultatis quidam Loco Tumoris purulenti aperuit Aneurisma in Mulieris Poplyte quae ex haemorrhagia periit. Ergo pulsatio certissimum ~~sign~~ Aneurismatis signum semper non est: ut a Federico Ruischio (f) etiam notatum fuit. Etiamsi omnia haec signa a me observata fuerunt non semper univoca vel patognomonica sunt, sed saepius fallacia. Spurium tandem Aneurisma ex tumoris volumine atque haemorrhagia satis distinguitur.

§. XIV.

Prognosis tandem hujusce pecularis Tumoris tam ~~facilis~~ difficilis, ut a vulgaribus ac rudibus Professoribus opinatur, non est. Itaque si sit aneurisma verum in arteriae Poplyteae trunco incipiens, vel mediocre, vel parvae molis curationem promittit; adeoque sola membri amputatio, ad vitam conservandam, superest: postea si id in ejus ramis sit, semper curatu facilius ac tutius: ut proxima in sectione clare exactèque exponam.

(f) Obser. 38. p. mihi

De Poplytis Aneurismatis Curatione

Sectio Quarta et ultima

§. XV.

Itaque cognita vera natura, atque essentia nec non perscrutatis causis, differentiis, ac indiciis Poplytis Aneurismatis superioribus in sectionibus ad ejus curationem transeundum censeo. Curatoriae autem indicationes, quae ad hunc morbum pertinent duae sunt: idest ejus ut saccus evanescat, vel penitus demoliatur. Auxilia, quae suppeditat Medicina cheirurgica, ad sanitatem recipiendam, sunt (1) Dieta sive Abstinentia (2) Flebotomia, (3) compressio (4 arteriae vinctura vel deligatio, (5) Amputatio.

§§ XVI.

Jam inde a principio hujus Aneurismatis curatio institui debat, quam Cl. Antonius Valsalva instituere solebat, nimirum sanguine saepius misso, et tenuissimo deinvictu aneurismata curare „sic curati„ in arteria Poplytis ut praedictus Benevolus (g) exemplum in ipsius Valsalvae museo

(g) l. c. p. mihi. ejusdem edit.

saco vidisse tasetur, ex homine qui post eam curationem morbo alio ~~[illegible]~~ confectus fuerat. Id etiam ab ante laudato Morgagnio (k) dictum est. At si haec curatio iterum, aut tertium felices habuit exitus, non omnibus adscribi videtur, quia temperamenta et corporum habitus hominibus consimilia non sunt: ideo ad alia auxilia recurrendum est.

§. XVII.

Compressio autem, per splenia, laminas, et fascias in Poplytis Aneurismate nullum habet locum, cujus causa partes superpositae, subiectaeque valde comprimuntur, et illa phaenomena oriuntur, quae in sectione tertia §. XII. indicavi, efficiuntur. Enimvero haec in illo trunci convenire tantummodo potest tum cum id inceptum est, per illa sustentacula, quae a celeberrimo Laurentio Heistero (i) delineata sunt; sed ejus cochlea instar olivae figurae esse debet, ita ut aptari possit in illo ~~[illegible]~~ intervallo quod inter nervum poplyteum interumque femoris condilum est. Illa quidem compressio per Pititi (j) Torcularis admotionem in inferiori cruris parte supra arteriam instituta sanguis irrumpat, et sacci aneurismatici dilatationem augeat, relinquenda non est.

§. XVIII

(k) L. C. p. mihi

(i) Institutiones chirurgicae P. II. sect. I. cap. XIX. p. 450. Tab. XI. fig. 8. et 9. Tom. I. edit. Amstelodami.

(j) l. c. p. 122. Tab. VI. fig. I. ejusdem edit.

§. XVIII.

Si verò his auxiliis saccus Aneurismaticus non educabitur, ad arteriae tamen vinctuvam veniendum est. Ea hoc modo fit. Imprimis cum torculari cruris arteria comprimenda est; ut hoc in Sectione §. XVII. scripsi. Dein perscindenda, secundum sacci longitudinem, tegumenta; donec benè detegabitur saccus: et tunc in superiori ac inferiori sacci aneurismatici parte arteria est intercipienda acu cum filo duplici: cavendum ne acus acutam aciem habeat vel simul intercipiatur nervus et vena, adeò ut Aneurisma inter has deligationes sit interceptum. Quidam ex auctoribus alteram hanc deligationem necessariam non existimant; alii verò utramque deligandam esse partem, autumant, quia ille ramus cum aliis anastomoses facit, arteria carente valvula. Ergo ex parte inferiori haemorrhagiam facere potest. Confecta jam operatione hac minuenda est torcularis pressio ut observetur, si firma est deligatio, et redeat in partem pulsus. Fila quibus capita eorum continebuntur, extra plagae angulos dependere debebunt, quae pure orto sine ullo dolore excident, parsque tandem munienda linamentis siccis, splenis, et fasciis aptis.

§. XIX

§. XIX.

Talis autem operatio aneurismati vero, vel spurio ramorum ipsius Arteriae valdè convenit, et nunquam illi ejusdem trunci: ut Petrus Kayserus, et Franciscus Pierallus, qui aliquam inconsideratè habuerunt operationem, quae benè, prosperèque successit, volunt: et id Anatome ac Physiologice probatur. Ad deligationem trunci faciendam, vasa finitima, ut detegatur saecus, incidere oportet. Ideo ob id pars inferior nutrimentum non sumit. Ergo in Gangraenam et Sphacelum evadat necesse est; idque exemplis confirmatur. (1) In Sanctae Mariae Novae Nosocomio a Valentino del Turco atque Natali Carlonio quodam in Epidauro hanc Poplytis operationem hisce oculis egomet vidi. Sub vesperum Tibia intumuit, lividaque facta fuit, die tertio ipse convulsus è vita discessit. Facta igitur Poplytis sectione in superiori trunci parte, una cum nervo et vena intercipisse vincturam invenimus.

(2) Idem Valentinus cl. Benevolo praesente consimilem instituet operationem ad Josephum Borghum ut in sectione prima §. IV. indicabitur, etiam vidi. Febris ardentissima et delirium operationi statim supervenerunt. Die pariter tertio pars tumefacta, et livida cum idatis apparuit.

ruit. IV idus septembris Anno vertente omnia symptomata mitigata sunt: et Gangrena ac sphacelus operationem secuta sunt ita ut Tibia propter illa disiuncta fuit a Femore, quod prae distantia sublimitatis quatuor ferè digitorum in carnibus detectum superfuit; et XVI Kal. Octobrias in maxilla inferiori convulsiones apparuerunt atque vitam mortalem cum immortali commutavit. Ex his duobus casibus, et pluribus aliis a me observatis quos brevitatis gratia praetermitto, inferre licet, vincturam Trunci Arteriae alienam esse: sed solam cruris Amputationem attribuendam.

§. XX.

Sunt quidam ex professoribus, qui, vincturam Trunci ejusdem arteriae institui etiam debere, intendunt; si vero inferior pars in Gangrenam evadere minatur, tum cruris confestim amputatio fieri oportet. Hoc modo in Sanctae mariae Novae Nosocomio praedictum Carlonum Celeberrimi Angeli Nannoni ductu fecisse ad aurigam quemdam Domo Romae, qui aneurismate Trunci Arteriae laborabat, et eodem die obiit, memini et scio. In Pistorii Nosocomio idem fecit Franciscus Pierattus: sed aegrotus convaluit, quia gracilioris corporis habitu insignitus, ut idem ego observavi. Anno MDCCLXII. in eodem Nosocomio idem factum est homini cuidam quadragenario

dragenario qui fatis concessit scriptum ad me fuit. Idirco aequo animo duas hasce tam barbaras operationes ferre equidem nemo potest.

§. XXI.

Ambrosius Beltrandus summus Regis Sardiniae Medicus Cheirurgus (K) quum de Aneurismate suo in tractatu operationis Medico-Cheirurgicae disseruisset, de illo poplytis etiam in transitu leviter tractavit: et ejus verba haec sunt „ si aneurisma verum magnae molis elaté ac „ profundé foret, dum incidatur multa vasa „ finitima jam conficientur: quapropter cruris ampu„ tationem institui melius esse, existimat. Ex hac ejus sententia in Anatomica Poplytis cognitione versatum non esse, neque observasse hujusce aneurismatis videtur: quia praedictus Kayserus qui omnium primus Florentiae ad instituendas has operationes fuit, (ut mihi narravit Josephus Theodorus Laliottus Medicus Cheirurgus primarius cohortis tormentorum bellicorum) et quatuor ex his operationibus aneurismatum cum vinctura facit: quarum una foelicem non habuit exitum. Pievattlo veró et Lokmannio operatio foeliciorem. Vidi quoque Dominicum Masottum nostris temporibus unum ex celeberrimis professoribus empiricis, qui eam instituit, et ad opus absolvendum auxiliarem manum ei Kayserum praestare necessarium fuit, et aeger bené conva

(K) p. 212. cap. XXI. dell'operazione dell'Aneurisma. Tomo II. ediz. di Nizza.

convaluit. Quapropter non in omnibus Poplytis Aneurismatibus cruris Amputatio convenit: ut audacter idem scripsit.

§. XXII.

Quemadmodum enim hi casus ad manus Professorum illiteratorum, ac Empiricorum ferè acciderunt, qui, Aneurisma num in Trunco Arteriae vel potius in ejus ramis fuisset, distinguere nesciverunt: et ii, qui etiam breviter de ea re scripserunt ejus delectum non tenuerunt, sed sub nominine tantum Aneurismatis Poplytis omnia complexa fuerunt, ita etiam immutabilia praecepta instituenda de hujus morbi curatione ipsius arteriae ordinem cauté inspicere operae praetium duco. Ergo ex dictis in §. XIX. hujusce sectionis in quolibet Trunci Arteriae Aneurismate cruris Amputatio juxta methodum Cl. Antonii Louisi (l) instituì debat; et si id fuerit in ejus ramis solam vincturam cum illa praecautione quam monet Ferrandus (m) instituere necesse est, et nihil addatur nisi implicitum fuisset. Haec tandem habui de poplytis aneurismate quae dicerem. Non ~~quaero~~ quaero, ut me turba miretur, satis est, litterato viros (ut vos A. P.) plaudere.

Dixi

(l) Mémoire sur la sailli de l'os après l'amputation des membres, p. 268. mémoires de l'Académie Royal de Chirurgie, Tome second. edit. de Paris.
(m) Lettre a Mr. Vandermonde dans le Journal de medicine Fevrier 1760 p. 100 edit. de Paris.

co
e
a
e
s
e
e
i
a
b:
e
an
s
i
e
t,
ation
yal

N°. 10